De iodio : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Fridericus Alexand. Hilbck.

### **Contributors**

Hilbck, Friedrich Alexander. Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin. Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Berolini: Typ. Nietackianis, 1833.

### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/ae63qmsg

#### **Provider**

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org DE

# IODIO.

# INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
CRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. APRILIS A. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

### FRIDERICUS ALEXAND. HILBCH

GUESTPHALUS.

### OPPONENTIBUS:

- L. HERBERS, MED. ET CHIR. DR.
- L. ELBERS, MED. ET CHIR. DR.
- H. JACOBI, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive in 2016 https://archive.org/details/b22482854

## PATRI OPTIMO FRIDER. HILBCK,

AD CINERES USQUE COLENDO,

## HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PII GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE PUBLICUM VOLUIT

D. D. D.

## DE HISTORIA NATURALI QUAEDAM.

l'avonia, nec non un spongia marina et conferva het-

mistocharte. Lougan per temple non contigit, ut

Jodli praesentio in pqua marina commonstrarctura

Schmittson Toungant quidess se extra dabitation

non bee gone or almayit at Gaultier de Clau

bry sententian, cius mining confirmati decuit; quine

Anno millesimo octingentesimo undecimo Courtois, Parisiensis, nitri confector, in lixivio fuci, quo ad obtinendum natrum utebatur, substantiam volatilem, frigore solidescentem, detexit, quum vasa metallica corrodi animadvertisset. Anno 1813 chemici Galli Desormes et Clement de nova hac substantia ad Institutum nationale retulerunt; Davy, Vauquelin, in primis Gay-Lussac, accuratius substantiam dictam examinaverunt, cui Gay-Lussac a vaporum colore (ἰωδής, coeruleus) nomen Jodine indidit.

Jodium nusquam purum occurrit, sed forma kali aut natri hydriodici in plantis littoralibus, ad fucorum et ulvarum familiam pertinentibus, deprehenditur; praesertim in fuco rubente, cartilagineo, membranaceo, vesiculoso, filiformi, in ulva Linza Pavonia, nec non in spongia marina et conferva helmintochorto. Longum per tempus non contigit, ut Jodii praesentia in aqua marina commonstraretur; Schmittson Tennant quidem se extra dubitationem hoc posuisse existimavit, at Gaultier de Claubry sententiam ejus minime confirmari docuit; quare mirum videbatur, medium illud, ex quo corpora organica, Jodium continentia, capiunt alimenta et incrementa, illo destitui. Balard demum non modo in lixivio salinarum, quae aquas ex Oceano atlantico obtinent, Jodium detexit, verum etiam in aliis substantiis, in quibus antea repertum non erat, v. c. in variis animalibus marinis, polypis, vegetabilibus, in Georgiis, in Zostera marina etc.; in coralliis rubris jam antea commonstraverat John. Quibus instigati successibus, alii alibi Jodium deprehenderunt: Fuchs in sale petroso ad Hall, urbem Tyrolensem, Charpentier in mineris salinis Bexensibus, Meissner in salinis Halensibus, Liebig in Salschusanis, Krüger in Pulzensibus ducatus Megalopolitani, Angelini in aquis mineralibus Salesianis Pedemontii, Cantu in aqua sulfurosa quadam nativa, Liebig nec non Gmelin in aquis Crucenacensibus, Egidi sub forma calcariae hydriodicae cum calcaria muriatica in pluribus fontibus salinis, qui circa Ascolum in civi-

tate ecclesiastica numerosi inveniuntur, Vogel in fontibus medicatis Heilbronnensibus, Tucher in aquis mineralibus Bonningtonensibus Angliae, Berzelius vestigia ejus reperit in fonte Ferdinandeo thermarum Marianarum, Chevalier in sepiis, idem in pluribus molluscis coeruleis suspicatus est, imo in Julo foetidissimo, insecto, haud dubie Jodium exstat, etenim succus ejus teste Holl intense Jodium redolebat, cutem luteo inficiebat colore, et amyli solutionem, quae in vitrum succo hujus insecti conspurcatum infundebatur, protinus violaceam reddebat. Ceterum in regno minerali Vauquelin Jodium detexit, nimirum in metallo argenteo Mexicano, in quo haud dubie argento conjunctum, tanquam Argyriodium, exstat. Hocce metallum 18,5 Jodii continet.

### DE JODII PARATIONE.

Ad obtinendum Jodium vel soda Kelp (Varech) vel soda alicantina utuntur. Illa vocatur sodae species, quae vegetabilium marinorum, praecipue fuci vesiculosi, combustione impetratur Gallisque Varech dicitur, quae autem soda multarum particularum incremabilium causa vilior est; vegetabilia, e quibus paratur, ad littora Galliae, Britanniae, Sco-

tiae passim crescunt. Soda alicantina, cujus optima species barilla nuncupatur, pariter ac soda salicornia et salsola in Hispania paratur atque Gallicae, nee non Anglicae praeponitur. Ista soda, elixatione ex aqua frigida instituta, omnibus liberatur particulis salinis, dein lixivium vicibus iteratis evaporatur et crystallisationi submittitur, dum natrum carbonicum crystallisando prorsus e lixivio sit expulsum, quod residuum est lixivium, natro hydriodico, muriatico, phosphorico pollet. Quod fluidum, acido sulfurico concentrato remixtum, in vase aperto aliquamdiu coquitur, quo fit, ut gas hydrothionicum et acidum muriaticum secedant. Quibus peractis, lixivio admiscetur minium, aut, quod praestat, manganesium hyperoxydatum, deinde in cucurbita vitrea, alembicum annexum habente, calefit. Sub his natrium jodatum, sive natrum hydriodicum, oxygenio manganesii decomponitur, quippe quod cum hydrogenio acidi hydriodici ad aquam, natrum vero cum acido sulfurico sese conjungit, et Jodium excluditur. Quodsi Jodium non acidum hydriodicum, sed natrium jodatum sistit, oxygenium manganesii cum natrio ad natrum (natrium oxydatum), hoc cum acido sulfurico connubium init, Jodiumque evadit liberum. Calore modico instar gasis pulchre violacei avolat, quod tam

in superiori parte colli cucurbitae, quam in ipso alembico densatur et acus prismaticas splendoris me; tallici exhibet. Quae hacce agendi ratione impetratae sunt crystalli, a parietibus vasorum, in quibus natae sunt, diducuntur, aquae frigidae pauxillo abluuntur et absque calore artificiali siccantur. Vapores avolantes, si rubrum colorem prae se ferunt, Jodium sulphuratum continent, quod eo modo segregandum est a sublimato, ut dimidia calcis tostae portione remisceatur et inclusum cucurbita, collum angustius habente, ad novam crystallisationem adigatur. Ut Jodium obtineatur, minime in usum vocanda est soda venalis, quum saepius sit adulterata; genuina enim soda, i. e. ad parandum Jodium aptissima, coloris sit saturate coerulei et grisei, aquam ex aëre humido imbibat, indeque colorem concipiat nigrescentem, duritiem habeat modicam, in pulverem facile redigatur, diffracta appareat cellulosa, porosa, terranea, minime crystallina, aqua, vel acidis dilutis imbuta, odorem edat kali sulfurati ad instar, saporem efficiat alcalino-salsum, ad locum siccum delata crustam adsciscat albescentem; centesimae duae cum dimidia ad centesimas tres et dimidium natri carbonici impetrantur,

Teste Gay Lussac, cui recentiorum chemico-

rum plurimi adstipulantur, Jodium est materia simplex, chloro et bromo simillima, sed ex parte etiam cum sulfure analogiae aliquid referens. Berzelius, in aliam abiens sententiam, has Jodii partes constituentes defendit:

1 Atom. radicalis Jodii 1266,7 = 80,85

3 Atom. oxygenii 300,0 = 19,15

1 Atom. Jodii hyperoxyd. 1566,7 = 100,00

Jodium foliola exhibet nitida, coloris atro-cinerei, plumbagini haud dissimilia, aut lamellis arsenici metallici sublimati; si diffringitur, fracturam offert lamellosam, pinguiusculam, ceteroquin molle est, friabile, facileque in pulverem subtilissimum conteritur, gaudet ductilitate, nam chartis interpositum in laminas potest diduci, temperiei 1750 - 1800 submissum abit in vapores belle violaceos, subpurpureos, humidum admisso aëre non mediocriter evaporat, odoremque spargit chlori similem, attamen tantum proprii habentem, ut utrumque corpus odore distinguatur, saporem efficit acrem, satis diu persistentem, pondus specificum ejus sub temperie 16, 5° R. aequat 4, 498, sub temperie 107° liquescit. Cutem et chartam colore fuscoslavo, sed minime constante, jodium inficit, vegetabilium colores leviter mu-

tat, electricitatem haud conducit, circa polum positivum secernitur. Aqua mera parum jodii solvit, sin continet salem, v. g. ammonium muriaticum, vel nitricum, multo majorem ejus portionem excipit. Solutio fusco-flava apparet, luce autem solari hocce colore privatur. Alcohole et aethere, nec non oleis aethereis, inprimis oleo terebinthinae, promptissime solvitur; alia tamen olea imperfectam solutionem, alia explosionem quandam efficient, qua vapores jodici violacei excluduntur; oleum juniperi, sabinae, roris marini, citri, lavendulae cum jodio calefiunt faciuntque, ut cum explosione avolet; oleum sassafras, cinnamomi et caryophyllorum talem effectum non praestant; oleum terebinthinae Jodium e solutione aquosa, tam salibus imbuta, quam destituta, elicit, id quod facta agitatione fere momento evenit.

### DE JODII REAGENTIBUS.

Inter Jodii reagentia argentum regulinum et amylum principem tenent locum. Teste Lampadio Fribergensi etiam spiritus vini sulfuratus Jodii reactionem excitat adeo promptam, ut una Jodii particula 28160 hujus laticis in fluidum roseum transmutet. Quodsi amylum admiscetur humori, jodium liberum continenti, utrumque jungitur colorque exori-

tur vel rubellus, vel coeruleus, prout plus minusve Jodii inest. Plurima autem corpora, quae vel per se, vel aquae nupta, gas hydrogenium evolvunt, jodium mutant in acidum hydriodicum decolor, et coeruleum amyli jodati colorem exstinguunt. Plerumque etiam Jodium tamquam acidum hydriodicum in salium basibus occurrit, e quibus debet excludi, quod quidem optime ita perficitur, ut amylum addatur humori explorando, hic acido nitrico ad aciditatem usque impraegnetur, et in vase bene obturato seponatur. Acidum nitricum enim sejungit acidum hydriodicum a basi, emissoque oxygenio acidum hydriodicum decomponit, quo fit, ut acidum nitrosum oriatur jodiumque liberum prodeat, quod amylum tingit. Auctore Stromeyer 450000 Jodii hac agendi ratione indicatur, imo teste Baup 1000000 sese manisestat. Davy pro Jodii reagente utebatur argento polito, quippe quod humore, Jodium continente, extemplo colore nigricante imbuatur. Argentum haud minus exiguam Jodii portiunculam indicat, at longiori tempore indiget. Jodium venale utplurimum aqua, arenulis etc. inquinatum, nonnunquam graphite, aut pulvere lithanthracum adulteratum est, quae substantiae integrae remanent, si jodium alcohole solvitur, aut calefit.

## DE JODII CONNUBIIS.

driodicum lingat. Quod acidum, a Gay-Lussac

Cum oxygenio Jodium exiguam alit affinitatem, non immediate cum eo sese conjungit ad acidum jodicum, quod Gay-Lussac detexit, primusque Davy purum obtinuit. Sementini \*) alios praeterea oxydationis gradus defendit, nimirum acidum jodosum, acidum jodico - jodosum, et oxydum jodicum. Acidum jodicum nascitur, si Jodium cum alkali aquoso, cum aqua et hydrargyro oxydato miscetur, aut si Jodium, chlorum et aqua cocunt. Acidum jodicum est solidum, album, semipellucidum, saporis ingrati adstringentis, odoris expers, vegetabilium colores rubefacit ac destruit, aëri obnoxium diffluit, unum atomum Jodii, quinque oxygenii continet, cum basibus sales jodicos (jodates) fingit, qui facillime decomponuntur et cum substantiis cremabilibus, vapores jodicos evolvendo, exploduntur; difficilius autem solvuntur, pariterque ac acidum jodicum a medicis in usum non vocantur.

Cum hydrogenio tantam affinitatem alit, ut plurima ejus connubia decomponat, acidumque hy-

<sup>\*)</sup> Sementini im Magazin für Pharmacie. Band 18. Seite 130.

driodicum fingat. Quod acidum, a Gay-Lussac detectum, ita obtinetur, ut una phosphori et sedecim Jodii partes, vitro pulverato humido obtectae, in apparatu pneumatico calefiant, et gas super hydrargyro excipiatur. Acidum hydriodicum exhibet gas decolor, saporis acris, acidi, odoris admodum pungentis, gasis muriatici odori haud dissimilis, aëri submissum vapores edit albos, neque cremabile, nec respirabile est, chartam docimasticam intense rubefacit, omnium gasorum gravissimum est, etenim pondus specificum auctore Thenard 4, 4288, teste Berzelio 4,443 aequat. Gas candescentiae obnoxium oxygenio decomponitur; chlorum ei additum profert acidum muriaticum, et Jodium reddit liberum; acidum nitricum, sulfuricum, sales oxydorum ferri, non minus illud decomponunt, varia metalla cum eo formant metalla jodata. Cum aqua hocce gas avide coit, istoque modo acidum hydriodicum fluidum fingit, quod obtinetur, si gas aqua excipitur aut si aqua, Jodium solutum continens, acido hydrothionico permeatur, dein filtratur ac destillatur. Hoc acidum, gasis attributa habens, ad pondus specificum 1, 7 concentrari potest; acidum dilutum aëri submissum non fumat. Aëri atmosphaereo, vel calori obnoxium, colore subfusco imbuitur acidum, siqui-

dem aëris oxygenium cum hydrogenio ad aquam coit, Jodium autem liberum acido hydriodico excipitur, quo fit, ut acidum hydriodicum jodatum, seu acidum hydriodosum, oriatur. Platini solutio adjecto acido hydriodico colorem induit fusco-rubrum et pars platini instar cuticulae, nitore metallico praeditae, ad superficiem excernitur, quare utrumque corpus mutuam, eamque haud levem, reactionem exserit; eandem cum palladio rationem alit. Hocce acidum cum basibus efficit sales hydriodicos (hydriodates). Cum spiritu vini destillatum acidum hydriodicum naphtham hydriodicam format; Gay - Lussac partem unam acidi hydriodici ponderis specifici 1,700 et duas spiritus vini absoluti partes desumsit. Humor est decolor, ponderosus, odorem habens aromaticum, volatilis, non acidus, naphthae muriaticae gravi (aetheri chlorico) analogus; brevi tempore naphtha hydriodica colorem adsciscit rubrum; chloro conjuncta decomponitur et Jodium excluditur; ad remedia officinalia nondum pertinet.

Porro Jodium cum carbogenio (carburetum Jodii a Serullas detectum) duabus proportionibus sese conjungit; utrumque connubium admodum cremabile est, aqua vix solvitur, facile autem aethere et alcohole. Cum hydrogenio carbonato Jodium

day 1820 detectum, quod corpus est decolor, crystallos prismaticas offert, odorem grato-aromaticum, saporem dulciusculum habet, alcohole et aethere solvitur, et ita obtinetur, ut Jodium cum gase oleum formante luci solari submittatur.

Sulfur jodatum substantia radiata, nitida, cinereo-atra, aqua insolubilis, calefactione partis unius
sulfuris et octo partium jodii in vitro medicinali
impetratur.

Carbogenio sulfurato Jodium ita solvitur, ut obscuratio oriatur intensa; 1/1000 jodii cum carbogenio sulfurato colorem coeruleo-rubrum, 1/2000 vero rosaceum communicat, quare unum in alterum reagit.

Cum phosphoro Jodium quadruplex connubium init, unde Jodium phosphoratum varii coloris emergit.

Cum chloro Jodium se conjungit ad substantiam nunc rubram, nunc flavam, prout relativa Jodii portio discrepat.

Teste Davy Jodium paene tertiam sui ponderis partem chlori absorbet, et cum eo massam sistit, quae magna volatilitate in hydrargyrum agit acidique indolem exhibet, et a Davy acidum chlorionicum (chlorionic-acid) appellatur.

Jodium azotatum ammonii ope impetratur,

pulveremque fusco nigrum, maxime cremabilem, offert.

Cum metallis (ferro, stanno, zinco, plumbo, hydrargyro) facillime Jodium sese conjungit, ex parte jam sub communi temperie. Connubia ista magis salinae indolis sunt, quam ob rem a Berzelio sales haloidei dicuntur; carent nitore metallico, partim aqua non solvuntur, partim colorem referunt pulchrum, ut plumbum jodatum et hydrargyrum jodatum, quorum hoc duplici ratione existit, nempe flavum et rubrum; utrumque non solvitur aqua, sed facile liquescit et sublimatur. Omnia Jodii cum metallis connubia tam acido sulfurico concentrato, quam acido nitrico decomponuntur. Oxygenium haecce corpora sub calore decomponit, exceptis kalio, natrio, plumbo et bismutho jodato, quippe quae chloro decomponantur. Altera ex parte Jodium fere omnes sulfuris et phosphori conjunctiones decomponit.

## ACIDI HYDRIODICI CUM BASIBUS CONNUBIA.

Sales hydriodici, qui acidi hydriodici et basium conjunctione, vel Jodii, basium et aquae commixtione nascuntur, acidis concentratis decomponuntur, simul autem acidum hydriodicum demiscetur. Variis cum

metallis praecipitata efficiunt belle colorata, siccando in metalla jodata mutantur. Hucusque nonnisi kali hydriodicum inter medicamenta officinalia receptum ejusque loco interdum natrum hydriodicum in usum vocatum est. Similis fere ratio est strontioni hydriodici, baryti hydriodici, calcarei hydriodici, magnesiae hydriodicae, attamen facilius decomponuntur.

Tres praecipue kali hydriodicum parandi exstant methodi, quarum unam pharmacopoea borussica, alteram Baup, tertiam Taddey praescribunt. Baup unam Jodii et dimidiam ferri limati puri tribus aut quatuor aquae partibus superfundit, quo fit, ut ingens calefactio cum effervescentia oriatur. Humor, initio colore intense fusco imbutus, finita reactione, quae levi calore adjuvatur, limpidus evadit, tum aquae partibus 6 - 8 diluitur, filtratur, et kali carbonici solutio additur, donec nihil amplius praecipitetur. Repetita dein filtratione, oxydum ferri, filtro retentum, aqua destillata tam diu eluitur, donec humor filtratus, addita mercurii sublimati solutione, non amplius praecipitatum offerat. Humor si alcalium more reagit, adjecto acido hydriodico neutralisatur. Evaporatio in balneo arenae blando calore efficitur, qua crystalli paulatim formantur. Inducta refrigeratione, lixivium guttatim a crystallis defluere oportet.

Duce Taddey Jodium spiritu vini diluto ponderis specif. 0, 87 solvitur, haec solutio, quamdiu praecipitatur aliquid, spirituosa kali hydrothionici solutione temperatur, filtratur et spiritus vini destillationis ope segregatur. Brandes pro solutione kali hydrothionici in usum vocat solutionem kali sulfurati; Geiger Jodium immediate in solutionem spirituosam filtratam kali sulfurati immitti jubet, qua facillime solvatur, itaque vini spiritu partim non opus sit, partim paratio maturetur.

Kali hydriodicum siccum (kali jodatum) crystallisando exhibet cubos et columnas quadrilateras coloris albi, subnitidi, candescentia liquescit, frigefactum
concrescit in massam crystallinam, margaritaceam;
candescentiae fortiori submissum citra decompositionem in vapores abit. Saporem habet acrem, salsum,
natri muriatici similem, aëris accessu non mutatur,
sub communi temperie bis tertia aquae parte solvitur, nec non sex partibus alcoholis. Unum continet
atomum kalii, duo acidi hydriodici = 28, 68 kali
71, 32 acidi hydriodici. Aquosum acidum sulphuricum ct nitricum, nec non chlorum, Jodium eliciunt. Teste Winkler acidum sulphuricum con-

centratum a kalio hydriodico sicco humorem atro-fuscum, volatilem segregat, quem pro acido hydrojodoso habet.

Kali hydriodicum bene paratum neque colorem portendat, neque alcalium more reagat, necesse est, attamen reactio alcalina levis nihil incommodi habet. Quod venale offertur, persaepe kali chlorico adulteratum est, quam ob rem solutio e partibus sex alcoholis ponderis 85 — 90 instituenda est, quo facto kali chloricum non solutum remanet. Adulteratio facillime detegitur, si massa cum acido sulphurico et mangano calefit, sub quo processu praeter Jodii vapores coeruleos simul flavi, a chloro proficiscentes, evolvuntur.

Natron hydriodicum impurum in fuci et ulvae varietatibus, ergo quoque in soda alcali mineralis vilioris, quam Kelp vocant, occurrit. Easdem fere rationes offert, quas kali hydriodicum, columnis sat magnis oblique quadrilateris crystallisat, aëris accessu diffluit, aquae partibus 1, 75 temperiei 15° nec non alcohole solvitur, unum natrii atomum duo acidi hydriodici, sive natrii partes 21, acidi hydriodici 79 habet, pariterque ac kali in natrium jodatum calefaciendo mutatur.

Quodsi viginti kali jodati et decem Jodii grana

scrupulis aquae viginti duobus ac dimidio solvuntur, auctore Baup kali hydriodosum oritur, humor fuscus, Jodium redolens, qui, vel aëri vel calefactioni submissus, Jodium superans dimittit.

### DE JODII EFFECTIBUS.

Coindet, medicus Genevensis, principium essicax praeparatorum spongiae marinae in Jodio cerni suspicatus, eoque multo cum fructu contra strumam usus est. Sententiam suam eo confirmatam vidit, quod Fyfe anno 1819 revera Jodium in spongia marina detexit. Ad experimenta Coindet tam kali quam natron hydriodicum adhibuit, semperque eundem effectum prosperum obtinuit. Majoris solubilitatis causa praetulit kali hydriodicum, cujus grana 48 aquae uncia solvit, terque per diem (nimirum primum mane inter jejunia, sub horam antimeridianam decimam et sub vesperam) guttulas denas cum aquae saccharatae cucullo exhibuit. Elapsis octo diebus, ad guttas quindecim, et aliquot diebus post ad guttas viginti dosin adauxit. Solutio hujus salis ex sufficiente aquae portione Jodium adhuc solvit, et kali hydriodicum jodatum (kali hydriodosum) fingit. Hoe magni momenti esse dicit Coindet, ad firmandam remedii efficaciam, aliquotics enim

strumam permagnam, duram et inveteratam, quae simplici kali hydriodici solutioni restiterat, adhibito hoc praeparato, prosperrime curavit. Praeterea solutionem Jodii puri ex alcohole (tincturam Jodii) adhibuit, ita paratam, ut grana Jodii 48 alcoholis 35° uncia una solveret; attamen hanc solutionem recentem esse oportet, nam diutius asservata decomponitur, et crystalli Jodii emergunt. Eandem hujus tincturae dosin, quam solutionis kali hydriodici, praebuit. Octavo circiter die post coeptam curationem cutis externa strumam obducens minus tensa, substantia mollior tactu est, attamen tumor nondum decrevit. Singulares glandulae partes manifestiores apparent, divaricantur, magis mollescunt et decrementum tumoris paulatim exoritur. Loca degenerata tunc duriora sunt tactu, magis prominent et chirurgicam operationem, si qua opus sit, facilius admittunt. Nonnunquam tela cellulosa, struma jamjam sublata per aliquod tempus laxa et pultacea manet; accidit etiam, ut struma non prorsus cedat, sed ita tantum diminuatur, ut citra deformitatem et molestias sustineatur. Utplurimum tamen, continuato remedii usu, intra decem vel sedecim hebdomades ex toto evanescit \*).

<sup>\*)</sup> Formey Bemerk, üb. den Kropf etc. S. 15 - 17.

De Jodii agendi ratione tam vindices quam adversarii hujus remedii maxime dissentiunt. Orfila, ad Jodii efficaciam in organismum animalem explorandam, experimentis canes ita submisit, ut Jodium purum iis inderet, ac nonnunquam oesophagum substringeret, e quibus haec redundant:

- 1) Parciores jodii portiones intus adhibitae leve exhibent incitamentum, vomitumque cient.
- 2) Drachma ejus intra quatuor vel quinque dies interficit canes, quibus oesophagus est substrictus, siquidem tunicae mucosae, quas tetigit jodium, ulcera concipiunt.
- 3) Drachmae duae vel tres, oesophago non substricto, cundem effectum in animalia exserunt, quippe quae post plures demum horas vomant, tanquam veneni pars per alvum sit expulsa.
- 4) Raro (non ligato oesophago) mors inducitur adhibitis drachmis duabus, vel tribus, sed paulo post animalia saepius vomunt.
- 5) Jodium externe adhibitum vitam non exstinguit.
- 6) Non aliter atque in canes agere videtur in homines.
  - 7) Jodium venenis corrosivis interponendum est. Orfila, ut effectum in corpus humanum com-

periret, ipse jejuno ventriculo grana duo hausit; sed praeter saporem teterrimum et levem dysphoriam nihil incommodi sensit. Postero die grana sumsit quatuor, statimque constrictionem et ardorem desophagi, quartam horae partem tenentes, observavit, quo facto materiem liquidam, flavam evomuit, in qua Jodium facile detegebatur. Manifestas functionum mutationes haud animadvertit, praeter levem pressionem, quae totum per diem perstitit. Tertio die granis sex deglutitis protinus constrictionem et ardorem pharyngis sensit, quibus ructus, nausea, salivatio et dolores supra ventriculum supervenerunt; elapsis decem horae minutis, vomitio ingens materiae biliosae, et affectiones colicae mitiores, per horam protractae, exstiterunt, et applicatis duobus enematibus emollientibus cesserunt. Pulsus, ante experimentum septuagies tantum per horae minutum micans, non modo fortior et multo evidentior evasit, sed etiam octogies quinquies, vel nonagies micuit. Respiratio expedita erat, attamen inspiratio nonnunquam cum difficultate thoracem expandendi juneta videbatur; cutis calor solito major apparebat, urina parum tincta cum chemicis reagentibus eandem, quam ante veneni deglutitionem, rationem alebat. Haustus largiores aquae cum gummi, nec non

enemata emollientia has affectiones depulerunt; altero post experimentum die nonnisi lassitudo quaedam supererat (1).

Seiler et Ficinus (2) cani per dies aliquot continuos Jodii grana decem ad duodecim praebuerunt, qui praeter tristitiam, pulsum acceleratum, multos ructus, nihil morbosi obtulit; quibus experimentis elucere videtur, parciores jodii doses morbum non inducere.

Judice Coindet Jodium est remedium excitans, ventriculi tonum adaugens, ciborum appetentiam ciens, nec alvi excretiones, nec diuresin, neque diaphoresin promovens. Jodium directe in systema reproductivum, singulatim vero in uterum, exserit effectum; certa ejus dosis per tempus aliquod adhibita, eximiam vim emmenagogam manifestat. Ab hoc effectu sympathico Coindet salutares Jodii vires in strumam pendere suspicatur (3).

Teste Harles (4) Jodium incitamentum specifi-

<sup>(1)</sup> Orfila's Toxicologie, übersetzt von Hermbstädt. II Band. S. 283 sq.

<sup>(2)</sup> Zeitschrift für Natur und Heilkunde von Carus, Ficinus und Seiler. 2. Band 2. Heft. S. 263 sq.

<sup>(3)</sup> v. Graefe u. v. Walther's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. Band 2. S. 236 sq.

<sup>(4)</sup> Harles rheinische Jahrbücher, 3. Band 2. Stück. S. 234 sq.

cum haud mediocre cum sanguine communicat, quod magis fortasse chemico processu sanguinis mixtionem mutet. Quum vero emmenagogorum more congestiones ad vasorum capillarium systema efficiat, in adhibendo hocce remedio summa providentia opus esse dicit, ne pulmonum morbus inducatur.

Clarus Jodii efficaciam in maximo resorptionis augmento cerni tradit, qua ex causa macilentiam saepe subsequentem deducendam censet. Strumae igitur decrementum et resolutionem nihil aliud esse contendit, nisi partialem emaciationem, quae secundum legem organicam communem celerius oriatur in pseudorganisationibus, quippe quae minori imbutae sint dignitate, quam partes ad normam conformatae. Proinde Clarus recte opinatur, non modo degenerationes glandulae thyreoideae, verum etiam aliorum organorum, imprimis glandularum, Jodio adhibito resolvi posse. Effectum Jodii secundarium cerni dicit in graviori vasorum, nominatim venarum, irritatione, quam ob rem conditiones, quae auctore Coindet organismum Jodio saturatum indicant, remedii usum continuari vetent; ob eundem effectum secundarium a Jodii usu esse abstinendum, si diathesis ad haemorrhagias, morbos pulmonum, sanguinis

destructionem usque jam processerint (1).

Dr. Matheu Genevensis etiam a Coindet eatenus dissentit, quatenus effectus noxios Jodii oriri negat, simulatque corpus eo saturatum sit; imo vero existimat, effectus illos ab immediata in ventriculum efficacia pendere; qualis autem hujus actionis indoles sit, non dirimit (2).

Ad efficaciam tincturae Jodii in organismum sanum examinandam, Dr. Jörg ejusque discipuli semet ipsos experimentis submiserunt. Dosis guttarum 2—15 haec protulit symptomata: ructus crebriores Jodium resipientes, ingratas oesophagi vellicationes, borborygmos motusque tubi intestinalis vehementiores, auctam ciborum cupiditatem, salivae secretionem et muci narium uberiorem, secretiones humorum intestinalium largiores, leviores sanguinis ad caput congestiones, affectiones asthmaticas, organorum uropoeticorum et sexualium excitationem (3).

Quantumvis istae observationes cum supra memoratis consentiant, nimium tamen ponderis iis tri-

<sup>(1)</sup> Gilbert's Annalen der Physik 1821. X. S. 359 sq.

<sup>(2)</sup> Gilbert's Annalen ibid.

<sup>(3)</sup> Materialien zu einer künftigen Heilmittellehre, von Jörg. Band 1. S. 473 sq.

buendum non est, siquidem experimenta dosibus tam exiguis instituta plurimum fallaciae admittunt.

- Dr. J. G. Kolley (1), Vratislaviensis, nostram de Jodio notitiam egregiis locupletavit observationibus, quibus plures morbi historias subjunxit. Quae ex iis redundant, haec sunt:
- 1. Jodium sistere videtur substantiam, nervorum systemati minime salutarem. Hominibus enim sensilioribus insolitas infert affectiones, quae tincturae guttis 3—4 jam excitantur, et in spasmos violentos nonnunquam transeunt. Istiusmodi homines, paucis dosibus sumtis, tantam artuum agilitatem atque mobilitatem sentiunt, ut vix quietem iis imperare possint; aliquanto post lassitudo omnium artuum et gravitas, dein capitis gravitas ac temulentia, ingens cephalalgia, tremor artuum, animi tristitia, spasmi, faciei pallor, fletus, pectoris oppressiones subsequuntur; neque minus aegroti singulare Jodii fastidium accusant.
- 2. Homines, diathesi quadam ad sanguinis congestiones versus caput, vel aliud organon nobilius, vel constitutione atrabilari conspicui, non bene fe-

<sup>(1)</sup> Horn's Archiv für medizinische Erfahrung. 1823 Juli, Aug. II. S. 8. sq.

runt jodium, nisi alia certe remedia, eaque derivantia, addantur: sanguinis congestiones augentur, caput magna premitur temulentia, imo cephalalgia oritur, qua aegroti nonnunquam in furorem aguntur.

- 3. Quicunque digestionis organorum infirmitate laborant, vel ad cardialgiam, ad colicas affectiones, opportuni sunt, cautissime Jodio utantur necesse est, ne dyspepsia habitualis, et ingentes ventriculi dolores incidant.
- 4. Omnes morbi febriles et mere inflammatorii, sive universales sunt sive topici, Jodii usum ex toto respuunt;
  - 5. neque minus diathesis ad diarrhoeas;
  - 6. morbi topici tracheae, phthisis trachealis;
- 7. vitia ventriculi et hepatis, generatim organorum internorum, ad suppurationem opportuna.

Hominibus victum lautum agentibus multoque utentibus vino, Jodium motus febriles facileque haemorrhagias excitat. Denique morbi hectici, nec non menstruorum fluxus et graviditas ab ejus usu abstineri jubent.

Si ad strumam debellandam Jodio uti velimus, teste Dr. Kolley explorationes antea nobis persuadeant necesse est:

- 1) tumorem revera in glandula thyreoidea sedem
- 2) non nimiam glandulae esse degenerationem, id est, neque scirrhosam aut carcinomatosam, neque concrementa inesse calculosa, aut similia;
- 3) strumam non nimis esse inveteratam;
- 4) cachexiam manifestam, morbum tabificum, statum pituitosum, humorum opportunitatem ad decompositionem abesse;
- 5) ipsum tumorem neque inflammatum esse neque dolorificum.

Acerrimi Jodii adversarii Dr. Nordhoff et Dr. Gölis, Vindobonensis, existunt.

Ille enim Lusannae in nosodochio virum, assumto contra strumam Jodio, ventriculi corrosione extinctum esse, narrat; (1) quaenam remedii doses adhibitae sint, non addit, etenim Jodium incaute administratum effectus deleterios exserere posse, experimenta ab Orfila instituta probant; sin methodum sequamur a Coindet propositam, vix illa detrimenta metuenda erunt. Gölis alius effectus causa Jodium e medicamentorum apparatu relegandum

<sup>(1)</sup> Allgemeine medizinische Annalen des 19. Jahrhunderts 2, Heft, S, 282 sq.

censuit. Puellae, amenorrhoea, dysmenorrhoea vel menostasia laborantes, quibus prospero cum eventu modicas tincturae Jodii doses (gutt 4-6 bis per diem) exhibuerat, elapsis aliquot diebus respirationis organorum affectionibus corripiebantur (1). Aliis quoque aegrotis tussis supervenit sicca, quam paullo post sputa cruenta exceperunt; post decimum, vel quartum decimum diem dolor ingens femora obsedit, qui nonnullis in exemplis, quibus majores doses Jodii erant adhibitae, extremitatum inferiorum paralysin partialem induxerunt, iis praecipue aegrotorum, qui contra impotentiam virilem Jodio usi erant. Quibusdam mulieribus aetate provectioribus uteri scirrhus in carcinoma vertebatur. Strumam facilius depelli Jodio, quam aliis remediis, contra hunc morbum commendatis, Gölis diffitetur. Quod probra ante dicta attinet, aliorum quoque medicorum, ut Kolley, observationes nobis persuadent, homines ad pectoris morbos opportunos, sensiliores, hypochondriacos et hystericos, non sine maxima providentia ad Jodii usum confugere, ab eo autem ex toto abstinere oportere, si viscerum vitia ad suppu-

<sup>(1)</sup> Medizinisch-chirurgische Zeitung 1821. Nr. 43, S. 272, sq.

rationem prona, uteri scirrhus et similia locum habeant. Virtus autem Jodii specifica contra strumam, de qua Gölis dubitat, certissimis experientiae testimoniis confirmatur.

Formey (1) septem hominum struma laborantium tres intra octo hebdomades in integrum restituit, quarti et quinti struma decrevit, sexti mollior
sed amplior evasit, septimi nullam subiit mutationem.
Quindecim struma laborantium, quorum autem nonnisi decem rite absolvebant curationem, quinque intra hebdomades octo, quatuor intra duodecim vel
duodeviginti ex toto sanabantur; symptomata neque
suspecta, neque insolita in conspectum prodibant.

De Graefe (2) viginti quinque struma affectos intra novem menses deinceps sanavit; duodecim struma inflammatoria laborabant, quare Jodium suspendi et antiphlogistica in usum vocari necesse fuit. Effectus maligni nunquam apparuerunt.

Dr. de Carro (3) aliique medicorum Vindobonensium, qui inde ab anno 1820 jodium contra

<sup>(1)</sup> Bemerkungen über den Kropf. 8te Auflage.

<sup>(2)</sup> Journal der Chirurgie und Augenheilkunde 2. Bd. 4. Heft. S. 616 sq.

<sup>(3)</sup> Dessen Brief an Formey, in Bemerkungen über den Kropf.

strumam adhibuerunt, sequelas damniferas haud ob-

Quodsi his addimus observationes, quas Hoffmann, Seiler, Ficinus, Nienstädt obtulerunt, Coindet recte judicasse, Gölis autem vana Jodio exprobrasse videntur.

E dictis abunde patet, exiguas Jodii doses initio ventris viscera non mediocriter excitare: appetitus enim ciborum augetur, digestio promtius absolvitur, homines in ventris cavitate majorem sentiunt calorem, catamenia fiunt uberiora, retenta profluvia haemorrhoidalia restituuntur. Eadem causa Veneris cupiditas excitatur, et homines plethorici, quorum systema vasculare facilius commovetur, pulsum pleniorem, duriorem, frequentiorem obtinent; cutis quoque liberalius perspirat. Per aliquot dies haec symptomata protrahuntur, priusquam resolventes Jodii vires in conspectum prodeunt. Virtus resolvens maxime in glandulam thyreoideam et mammas muliebres agit, quippe quae diuturniori Jodii usu consumantur (1).

Verum etiam alia organa, cum systemate lym-

<sup>(1)</sup> Formey in Hufeland's Journal. St. VI. S. 113.

phatico arctius commercium alentia, afficiuntur; haud raro glandulae axillares dolent, aliaeve glandulae lymphaticae superficiales; neque minus Jodium in glandulas salivales efficaciam exserit; nam ptyalismus, si quis exstitit, temperatur. Secretiones et excretiones non augentur quidem, attamen leniter accelerantur, inprimis uropoësis, quod inter alios Hoffmann observavit. Diuturniori Jodii usu systematis nervorum affectio, aucta sensibilitas et mobilitas inducitur; neque minus vasorum systema offenditur: facile sanguinis congestiones et variarum partium haemorrhagiae oriuntur; pulsus celer ac durus evadit, imo interdum febris irruit; somnus admodum turbatur, aeger cum cephalalgia et angoribus conflictatur; insolita mobilitas et alacritas musculorum, praesertim artium inferiorum, manifestantur; viscerum chylopoëticorum functiones a norma recedunt: modo anorexia, modo bulimia, nunc alvi obstipatio, nunc diarrhoea, exstant. Apparentibus hisce symptomatibus, quae Coindet symptomata jodica vocat, et quae organismum Jodio saturatum indicare asserit, remedii usum suspendi oportet, alioquin enim permagna systematis nervorum exaltatio prodit, per totam vitam persistens, extremitates inferiores facile resolvuntur, visus maxime hebescit (Formey), totum corpus celerrime macrescit et vires prosternuntur, pectoris affectiones, tussis, cordis palpitationes, pulsus celer et irregularis incidunt; non raro cachexia vera remanet, cui hydrops supervenit; suspenso autem Jodii usu, symptomata supra dicta promte evanescunt. Doses nimiae veneni corrosivi instar agunt, quod experimenta ab Orfila instituta docent. Conditionibus, auctore Kolley Jodii usum vetantibus, aetas tenerior, nec non senilis cum universo marasmo, addi possunt.

Morbi sequentes, dummodo organismi natura individua non repugnet, Jodium cum fructu adhiberi patiuntur.

I. Struma. Jam dudum spongiae marinae cinis et carbo, nec non aethiops vegetabilis (cinis fuci vesiculosi), quorum partem constituentem principem Jodium sistit, optimum strumae remedium celebrabantur. Coindet contra omnes strumae species cum eventu salutari Jodium adhibuit. Formey non omnemquamque strumam aequomodo resolvi observavit; Kolley et Baumes accuratius strumae speciem, cui Jodium respondeat, definierunt. De Graefe primus contendit, Jodium tantummodo strumis simplicibus lymphaticis mederi, quae in glandulae thyreoideae, vel telae cellulosae ambientis, tumore con-

sistant. Struma inflammatoria Jodio adhibito in pejus vertitur et sanguinis modo detractiones locales uberiores Jodii usum insontem reddere queunt; ceteroquin effectus ejus in strumam inflammatoriam specificus certis observationibus non probatur. Haud raro struma simplex lymphatica Jodio inflammatur, quod si fit, nonnisi sanguinis missiones tepidaque fomenta salutarem ejus usum sustinere valent. Strumam aneurysmaticam minus depellit Jodium, sed potius nocet, quanquam exempla non desunt, quibus ista strumae species decresceret. Vix etiam struma scirrhosa Jodio sanatur, quoniam generatim omnes pseudorganisationes remediorum resolventium viribus sunt majores; licet autem haec struma Jodio resistat, tamen haud mediocriter ejus ambitus diminuitur. Struma lymphatica, quae aliis quoque remediis cedit, Jodio semper vel plane fugatur, vel saltem ad decrementum adigitur. Quem ad scopum Jodium duce Coindet interne exhibetur, verumtamen plurimis in exemplis applicatio ejus externa sufficit, de qua infra disseram.

II. Glandularum tumores rheumatici, nec nor aliis quibusdam causis exorti, Jodio facile cedunt Formey enim et Coindet numerosa instituerun experimenta, semperque laetissimum obtinuerunt even-

tum (1). Saluberrimus remedii effectus exstitit contra nodos lacteos, puerperis exortos, generatim contra mammarum indurationes. Diuturniori Jodii usu mammas muliebres attenuari et venustate privari, neminem fugit. Aliarum glandularum, v. c. salivalium, indurationes, nec non bubones rheumatici, saepe brevi tempore resolvebantur. Scirrhi genuini Jodio haud magis, quam aliis remediis, coercentur, attamen illud saepenumero ineunte tali pseudorganisatione, nominatim in utero et vagina, aliquantum efficaciae praestitit; Nordhoff autem uteri scirrhum Jodio adhibito in cancrum apertum abiisse allato exemplo probat. Göden, Neumann, Delisser, Jodium efficacissimum experti sunt contra glandularum tumores scrofulosos, quos jam Coindet hocce remedio impugnavit; attamen scrofulae tantum frigidae, quae vocantur, omnis inflammationis expertes, huc referendae sunt. Porro Jodium aliis vitiis scrofulosis, inprimis ulceribus, medetur, quamobrem a Schönlein praestantissimis antiscrofulosis remediis interponitur.

III. Jodium contra tubercula adhibitum effectu salutari minime destituebatur; attamen nonnulla do-

<sup>(1)</sup> Hufeland's Journal 1824, St. Vl. S. 113,

cuerunt exempla, pulmonum tubercula Jodio curata phthisin floridam inducere posse, quam ob rem hac parte remedium anceps est. Laetior effectus contra hepatis tubercula exstitit; glandularum mesaraicarum tubercula paene semper Jodio cedunt.

IV. Tumores albos rheumaticos et scrofulosos Manson atque Zink Jodio sanarunt; eodem remedio Martini ulcera exedentia inveterata colli et veli palatini, complicatione morbi scrofulosi et syphilitici exorta, neque mercurio nec aliis remediis expugnabilia, seliciter depulit.

V. Ulcera syphilitica Jodio in pejus vertebantur, at hydrargyro jodato homines syphilide inveterata laborantes, qui frustra mercurio sublimato usi erant, sanabantur. Biett commendabat unguentum ex hydrargyro jodato, cujus forma haec est:

mercur. jodati gr. XVI — XXIV
m. s. unguentum.

Hocce Jodii connubium Dr. Kolley pro Jodie simplici in omnibus morbis scrofulosis inveterati commendat, inprimis si infantum evolutio admodun sit retardata, cutis laxa et pallida, ingenii facultate exiles, venter sufflatus, artus curvati, glandulae cer vicales, axillares, mesaraicae durae et tumefactae.

VI. Plures medicorum Gallorum dyscrasiam mercurialem Jodio coercuerunt, ulceraque externis remediis, simul in usum vocatis, cesserunt.

VII. Dyscrasicas tunicarum inflammationes, nominatim gonorrhoeam syphiliticam, inter alios Richond et Benaben Jodio feliciter profligarunt. Uterque Jodium iis in exemplis adhibuit, quibus citra graviorem inflammationem gonorrhoea inveterata cum urethrae et praeputii ulceribus, syphilidis autem speciem non referentibus, exstitit.

VIII. Non minus salutarem essicaciam Jodium in urethrae stricturas exserit, quod Trüstedt (1) observationibus confirmavit. Vir quidam, per semestre urethrae strictura, cum dolorisico glandulae prostatae et testiculi sinistri tumore ingente, nec non sistula urinali laborans, interne et externe Jodio curabatur. Elapsis octo hebdomadibus, partium tumor eatenus cesserat, ut citra dolorem graviorem cereoli possent immitti. Fistula urinalis paulo post sua sponte evanuit et post trimestre aegrotus paene integram valetudinem recuperaverat. Urethrae strictura per triginta annos protracta, et cum sistula urinali

<sup>(1)</sup> Medizinische Zeitung von dem Verein für Heilkunde in Preußen, 2ter Jahrgang. S. 48 sq.

conjuncta, brevi tempore plurimum decrementi obtinuit; tertia quaedam strictura inveterata, absque complicatione, intra sex hebdomades ita tollebatur, ut non modo cereoli, urethrae amplitudini normali respondentes, sine difficultate ad vesicam usque inseri, verum ctiam aegrotus absque ulla molestia normalem urinae radium expellere posset.

IX. Jodium in partes sexuales magnam exhibere essicaciam, Coindet jam observavit, quippe qui contra amenorrhoeam et chlorosin eo uteretur; Nienstaedt et Formey hos effectus confirmant. Leucorrhoeam inveteratam Jodio cedere, Gimele comperit, idem fluorem album acrem, elytralgiam et urethralgiam atonicam sanavit. Contra incipientem ovarii degenerationem Jodium egregium praestat usum, dummodo omnia inflammationis vestigia absint, v. c. contra indurationem, hydropem ineuntem etc. Formey in morbis ovarii nonnunquam sine fructu Jodium exhibuit, attamen diagnosin non satis certam fuisse largitur! medici Galli autem, multique Germani, inprimis Vindobonenses, Jodium in dictis morbis utilissimum observarunt. Minus salutare contra testiculorum morbos exstitit, quanquam Neumann et Weidler indurationes atque tumores eorum non inflammatorios feliciter depulerunt. Impotentiam virilem Jodium, a Coindet atque Formey adhibitum, saepe sustulit, Goelis effectum salutarem plane desideravit artuumque inferiorum paralysin oriri comperit.

X. Egregie Jodium exanthematibus quibusdam chronicis medebatur. Contra lepram Dr. Kacz-kowsky tam interne quam externe prospero cum eventu adhibuit. In Caritatis nosocomio Berolinensi cum tinctura Fowleri contra eundem morbum non sine fructu administratum est; medetur etiam ichthyosi, tartaro, psoriasi aliisque impetiginibus pertinacioribus. Biett (1) hunc in finem prae ceteris laudat sulphur jodatum, nondum officinale, quod praeparatum non modo contra acnen induratam externe applicatum, saluberrimum sese praebuit, verum etiam interne et externe adhibitum contra scabiem inveteratam, quod ipse observavi.

XI. Contra varios ossium morbos non syphiliticos, sed ab alla dyscrasia profectos, Jodium utile perhibetur, opus autem est pluribus argumentis, ut res confirmetur.

XII. Seiler Jodio contra strumam adhibito ascarides lumbricoides dejectos vidit, simili ratione

<sup>(1)</sup> Magazin für Pharmazie Band 21. S. 82.

fortasse helminthochortos agit, in quo Straub Jodium detexit. Minime vero contra morbum, levioribus medicaminibus cedentem, statim heroicum remedium administrari decet.

XIII. Eximio cum fructu contra ptyalismum adhibitum est Jodium. Dr. Knod ab Helmenstreit, Schaffnaburgensis (1), primus de hoc Jodii effectu retulit, nuper in Caritatis nosocomio Berolinensi experimenta circa hanc rem instituta sunt. Helmenstreit quinque Jodii grana duabus spiritus vini drachmis solvi, dein aquae cinnamomi uncias duas et dimidiam cum syrupi uncia dimidia solutioni addi jubet. Hujus solutionis quotidie quatuor cochlearia majora dimidia, post quatriduum totidem integra cochlearia exhibeantur dosiumque proportio ita augeatur, ut grana 2-4-6-8 per diem sumantur. Eventus experimentorum, quae Kluge in duodecim mulieribus et quinque viris instituit, prosperrimus apparuit. Quanquam tumor partium internarum oris amplissimus, salivatio copiosissima, anorexia maxima exstiterunt, tamen dolores saliva corrodente excitati primis remedii dosibus cesserunt, tumor et larga salivae secretio remiserunt, ciborum

<sup>(1)</sup> Hufeland's Journal 1832, S. 20 sq.

appetentia ad eum rediit gradum, quem antea obtinuerat. Jodii usu diutius continuato, omnes evanuerunt difficultates, ipsaque oris ulcera mercurialia, nisi Jodio applicato cicatrices jam induxissent, curationi topicae brevi tempore cesserunt. Promtissimum Jodii effectum duae puellae manisestabant, quae cum singulis diebus paene quinque salivae libras edidissent, tertio die, sex vel octo granis Jodii sumtis, convalescebant. Alii aegrotorum post diem quartum, quintum, septimum, eundem effectum salutarem senserunt; duae tantum puellae Jodii effectu salubri destitui videbantur, elapsis enim octo diebus, dolores quidem admodum decreverant, ptyalismus vero tantus manserat, ut tres vel quatuor salivae librae redderentur. Suspenso autem Jodii usu (altera earum grana triginta quatuor, altera triginta sex hauserat), decimo et undecimo die sanescebant. Omnibus hoc modo curatis, quos Kluge postea per aliquod tempus observavit, nihil adversi accidit (1).

Quum Jodium, ut venenum corrosivum, directe ventriculum offendat, modo solutum interne potest adhiberi. Coindet tres commendavit formas: primum tincturam Jodines, s. Jodii, cujus tales sunt

<sup>(1)</sup> Medizinische Zeitung von einem Vereine für Medezin in Preußen, 2r. Jahrgang. S. 21. sq.

48 contineat; hoc praeparatum officinale est, ejusque guttulae 10 cum aqua saccharata, vel alio vehiculo, bis terve per diem propinantur. Adversarii, tincturam Jodii ventriculum gravius offendere contendentes, kali hydriodicum praeponunt. Proinde Coindet grana 48 kali hydriodici alcoholis vel aquae uncia una solvi easdemque doses, ac tincturae, praeberi jussit. Solutio kali hydriodosi (kali hydriodici jodurati), cujus uncia kali hydriodici grana triginta sex, Jodii puri grana duodecim continet, dosibus aliquanto parcioribus exhibetur.

Brera solutionem granorum sex Jodii puri in aetheris sulphurici drachma commendat, quae, cum violentius excitet, cautissime adhibenda est.

Jodii solutionem supra memoratam, quam K no d ab Helmenstreit laudat, Kluge (1) repudiat: Jodii solutionem, ait, ex spiritu vini rectificato adeo imperfectam esse, ut addita aquae certa portione praecipitatum oriatur, quod haud exiguum sit, remediique efficaciam non mediocriter mutet. Hujus praecipitati causa aegrotum, quotiescunque medicinam hauriat, bene agitare debere solutionem, ut certam Jodii copiam assumat; facile autem esse intellectu,

<sup>(1)</sup> Medizinische Zeitung etc. ibid.

ne summa quidem adhibita diligentia posse vitari, quominus Jodii puri particulae vel cochleari, aut lateribus, aut fundo lagenulae adhaerescant. Quae cum ita sint, Kluge vel tincturam Jodii cum decocto avenae, vel Jodium cum natro muriatico, vel kali hydriodicum propinari jubet.

Quum et profani et medici imperitiores Jodio intus adhibito saepe sibi aliisque nocuerint, Coindet prospero cum eventu Jodium in unguenti formam redactum externe applicuit. Unguentum ex Jodii drachma dimidia et axungiae porcinae uncia una atque dimidia conficitur, ejusque portio, nucis avellanae magnitudinem aequans, mane et vespere inungitur. Dr. Jäger multo cum fructu unguentum ex kali hydriodici granis 10 et axungiae porci uncia una paratum administravit, ita quidem, ut singulis diebus drachma dimidia in strumam inungeretur, dein panniculus laneus superimponeretur. Biett usus est unguento, e sulphuris jodati granis 12-22 et axungiae porci uncia una parato, quod in exemplis supra allegatis plurimum utilitatis praestitit. Neumann ex kali hydriodici drachma et emplastri mercurialis uncia confecit emplastrum, quod tamen unguento ante descripto cedit.

## kali bashadiana propagata Vinelia ing

Libito saepe sibi allaque nocul int Caintlet

desilves, and should becoming white wants the

con the sint, between the thoron and in this charge

lay . . neglection with a fine combit flew control at the

institute and the state of duties and animal

Natus sum ego Fridericus Alexander Hilbck mens. Mart. A. MDCCCIX Iserlohniae, fidei evangelicae addictus, oppido Guestphaliae, patre Friderico Hilbck, matre e gente Hösterey, quos Dei gratia hucusque incolumes servavit. Ad aetatis annum decimum quartum primis litterarum rudimentis domi imbutus, gymnasium, quod Hammonae directore Cel. Kapp floret, adii, ibique per quatuor annos studiis propaedeuticis operam dedi, atque examine, quod ad universitatem abituris subeundum est, superato, A. MDCCCXXVII academiam Fridericianam Halensem et Vitebergensem consociatam petii. Ibi a Rectore magnifico Mühlenbruch numero civium academicorum atque a Decano Cel. Sprengel facultati medicae adscriptus sum. Per annum et dimidium philosophicas medicasque doctrinas professores summe colendi mihi tradiderunt: logicen et psychologiam Ill. Gerlach, philosophiam fundamentalem Ill. Tieftrunk, anthropologiam Ill. Gruber, physicen Ill. Schweigger, mineralogiam et geologiam Ill. Germar, botanicen Ill. Sprengel, anatomiam tum generalem tum specialem Ill. Meckel. Anno MDCCCXXIX ad almam universitatem Rhenanam me contuli, civiumque aca-

demicorum numero a Rectore t. t. magnifico Hefter adscriptus, et apud Ill. Bischoff, medicorum t. t. Decanum, nomen professus sum. Hac in litterarum sede-mihi tradidere: Zoologiam Ill. Goldfufs, anatomiam et physiologiam Ill. Mayer, anatomiam pathologicam et pathologiam generalem Ill. Müller, pharmacologiam Ill. Harles, pathologiam et therapiam chir., nec non ophthalmologiam Ill. de Walther, pathologiam et therapiam specialem Ill. Nasse. In arte cadavera dissecandi duces mihi fuerunt Ill. Mayer et Ill. Weber. Anno MDCCCXXX ad ilmam hanc literarum universitatem Berolinensem profectus, Rectore magnifico Hegel, Decano spectab. Wagner inter medicinae studiosos receptus sum, kque his virorum Cel. interfui scholis: Ill. Hufeland de pathologia generali, Ill. Eck de therapia generali, III. Reich de therapia et pathologia speciali, Ill. Busch de arte obstetricia, Ill. Horn de therapia et pathologia speciali, nec non de morbis syphiliticis et de morbis psychicis, Beat. Rudolphi de anatomia comparativa, de anatomia foetus et de entozois; exercitationibus clinicis et medicis et chirurgicis adfei ducibus III. Wolf, III. Barez et III. Rust. Clinicen ophthalmiatricam Ill. Jüngken, obstetriciam Ill. Busch frequentavi. Tunc temporis duce legionario medico Hartmann munus suscepi per annum chirurgi militaris.

Jam tentamine rigorosoque examine coram gratioso medicorum ordine absolutis, dissertationem inauguralem conscripsi, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

## THESES DEFENDENDAE,

I.

Trepanatio in aetate infantili rejicienda est.

II.

Jodium inter chlorum sulphurque ponendum est, ejusque cum his connubia maximam exserunt in organismum efficaciam.

III.

Vulnera intestinorum prolapsorum sutura Lembertiana sananda sunt.

IV.

Homoeopathia non remediis, sed diaeta curat.

V.

Tracheotomia in angina membranacea rejicienda est.

VI.

Inter remedia resolventia Jodium non ultimum obtinet locum.